

εὐφημία γὰρ εὐκολώτατος πόνων.⁹ Item: „Conuiuuium ornat modestia.“ Non-
 ne igitur decebat Christi conuictores multo magis piam ostendere modestiam
 et si qua inter conuiuas incidat collocutio vel disceptatio, cum dulci et sobria
 moderatione suam dicere sententiam, placide etiam audire alios, semper τὰ
 5 εὐφημα loqui et inprimis cogitare hanc communem mensam neruum et [6:]
 vinculum mutuae esse debere consensionis et dilectionis. Sed quid fiat inter
 nostros de sacra coena collocutores proh Deum immortalem cernimus, quos
 ructus, vomitus et alia inquinamenta non conuictorum Christi, sed ebriorum
 scurratum, proripientium sese ex conuiuiis Centaurorum et Lapitharum¹⁰
 10 publice prolici cum dolore et horrore videmus. Veniam dabunt meo dolori
 pij, quicumque scripta plaeraque, quae nunc in precio etiam sunt, inspexerunt.
 Pyrgopolinicen aut pseudolum Plautinum,¹¹ cumque ad insaniam vsque ebriu-
 um vociferari credas, nec aliud quam plaustra quaedam conuictorum eorum-
 que exquisitorum – nam et maledicta nunc, quibus pij et docti homines satis
 15 deformari possent, deficiunt – reperies et, vt dicam, de re atroci quid atrox.
 Interdum ita excandescit eorum oratio, vt etiam ipsas teterrimas furias, etsi
 vel cocvtum vel omnes infernales gurgites euomerent, magis dirum, quid ef-
 fundere posse non credam. Attamen tales maxime multitudini docendo prae-
 eunt, plurimi ab eorum quamuis impudenti ore, tanquam Galli a suo Hercule
 20 pendent, cum non reperiam quomodo apud hominem sensu saltem communi
 praeditum, opinabile esse possit, eiusmodi pectus Spiritus sancti posse esse
 domicilium. Non tales describit apostolus ministros Christi, quos iubet erga
 omnes esse elementes et cum pia humanitate erudite aduersantes.¹² Furiarum
 latibula non Dei hospitium in istis agnosces neque hi, vt falso iactitant, pij
 25 zeli sunt ardores, sed rabies, quam multae forsitan legiones diabolorum ipsis
 afflant. Sed hanc querelam, cum nunc piae admonitiones parum proficiant,
 abrumpo et Deo, qui vindex est impietatis et crudelitatis, exitum harum di-
 gladiationum commendabimus.
 De re vero controuersa pauca nunc quaeremus. Intuenti mihi theatrum tam
 30 ipsorum, qui in arenam prodeunt, quam spectatorum mirificam mihi speciem
 cernere videor. Adeo enim dissimilia et mirifica oriuntur studia et iudicia, vt

⁹ Vgl. Euripides, Fragmenta 1087, in: Tragicorum graecorum fragmenta. Bd. 2, hg. v. Richard Kannicht/Bruno Snell, Göttingen 1981, 155.

¹⁰ Die Kentaumachie, ein mythischer Kampf zwischen Kentauren und Lapithen, der am Hochzeitsfest des Peirithoos und der Hippodameia stattfand und mit dem Sieg der Lapithen endete, war einer der beliebtesten Stoffe der bildenden Kunst in der griechischen Antike. Vgl. hierzu Christine Walde, Art. Lapithai, in: NP 6 (1999), 1143.

¹¹ Zur literarischen Bezeichnung des Bramarbas als Pyrgopolinices, „Städtemauererstürmer“ vgl. Titus Maccius Plautus, Miles gloriosus I, in: Titus Maccius Plautus, Tutte le commedie 3, hg. v. Ettore Paratore, Rom 1976 (Paperbacks classici latini e graeci 3), 256–260.

¹² Vgl. Kol 2,8.